





*737*

*1710, 11 N2*

*M*

*7*

*L. D. B. V.*

DISSERTATIO JVRIS GERMANICI,  
DE  
**SERVITVTIBVS IN FA-**  
**CIENDO CONSISTENTIBVS,**

*Quam*

FAVENTE DIVINO NVMINE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
*DOMINO*

**GVILIELMO HENRICO,**  
DVCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, AC MONTIVM, AN-  
GARIAE WESTPHALIÆQUE & reliqua.  
IN HAC ALMA SALANA JENENSI. (4)

SVB PRÆSIDIO

**DN. EPHRAIMI GERHARDI,**  
PHIL. ET J. U. DOCTORIS, AVLÆ AC REGIM. SAXO-  
VINARIENS. ADVOC. ORDIN.

*DOMINI FAVTORIS AC PRÆCEPTORIS SVI*  
*VENERANDI,*


AD D. AUGUSTI A. M. D. C. C. X.  
IN AUDITORIO JVRIDICO  
SOLENNI ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTET  
RESPONDENS

**VVOLFGANGVS ADAMVS REVTER,**  
MONACHOMONTANVS VARISCVS.

---

JENÆ,  
LITTERIS MULLERIANIS.





## CAP. I.

*De Servitutum prædialium natura  
generatim, earumque, prout Ro-  
manæ vel Germanicæ sunt,  
originis differentia.*



Tut Servitutis vocabulum pri- *Diversa*  
mum tantum personis tributum, *vocabuli*  
videatur: diversa tamen ejus appli- *servitutis*  
catio illud & rebus communicavit, *significa-*  
*unde Servitus alia personarum, alia tio.*  
rērum existit. Illa hominem homi-  
ni, hāc rem homini vel rei cuiquam  
obnoxium reddit: Illa plane aliis  
est considerationis; hāc vero ite-  
rum in personalem, ubi res servit  
personæ, & realem, ubi res servit rei, dispescitur. Ad il-  
lam revocant usumfructum, insam atque habitationem;  
Hāc vero plures sub se comprehendit inferiores species,

de quarum natura atque habitudine nunc ulterius qua-  
rendum.

## §. II.

*Aliter idem accipitur Romanis aliter Germania.* Aliter præterea vocabulo Servitutis uti videntur. Icti Romani, aliter illius usuratio in foris nostris obtinet, adeo, ut servitutes Romanae à Germanicis quibusdam specie plane ac natura differre videantur. Sed verò discrepancia non est tanta, quanta videtur, & Germanicae seu consuetudinariæ servitutes, ineptis quibusdam interpretum subtilitatibus recisis, bene cum illis quoad naturam essentiamque rei convenienti, quamvis de cætero non negetur: Estè quædam, quæ ad accidentium classem pertinent, quæ nostris quidem moribus aliud servant modum. Juvabit hujus rei gratia Servitutum prædialium naturam paulo altius repetuisse.

## §. III.

*Servitus est vel Jus vel obligatio.* Ut autem correlatorum fert natura dupliciter consti- derari potest servitutis conceptus, vel quatenus ad prædium serviens, vel quatenus ad prædium dominans refertur. Sic posteriori sensu jus, priori vero obligatio erit. Quemadmodum vero sine dubio servientis conditio nomini dedit originem; sic à potiori facta denominatione & usitatisima consideratione supposita servitus definienda erit, quod sit obligatio ad alteri ex re sua commodum certum concedendum vel præstandum aut etiam in alterius emolumentum ab ipsi rei sue abstinentium. Respondet huic obligationi ex parte opposita Jus in re aliena certum emolumentum ex illa capiendi & consequenter prohibendi, ne Dominus ipsius commodum nobis intercipiat. Ita DN. DE PUFENDORFF. de j. N. & G. L. IV. c. VIII. §. VI. & SCHILTERUS ad j. b. i. apb. i, quos eo lubentius sequor, cùm hi ipsi primo opinioni, quam hactenus pro solidiori repto, dederint occasionem. Alii vulgo dicunt: Jus in re aliena aliquid faciendi vel prohibendi, cui respondet obligatio ad aliquid in re sua vel patiendum vel omit-

omittendum. Verum cur ab hoc modo loquendi rece-  
dam, docebunt, quæ sequuntur.

## §. IV.

Consentunt autem in eo omnes, quod servitus præ- *Natura*  
dialis sit. 1. Jus sive res in corporalis. 2. Jus in re, ex quo *servitu-*  
oriatur actio realis sive actio in rem. 3. Jus in re aliena, *tum gens-*  
& sic alterius restringens dominium. 4. Jus ex re aliena *naturam de-*  
capiendi aliquod emolumenatum sive commodum. 5. Et *finitz.*  
quidem respectu prædii nostri, adeo ut jus nostrum etiam  
ad prædii successores transmittatur, & nemini nisi qui præ-  
dium possidet competit. vid. MANZIUS ad §. 3. 7. de Ser-  
vitutibus *pred. rustic.* & *urban.* Atque ex his ni fallor, na-  
tura atque essentia servitutis satis eluceſcit. Quæ itaque  
circa modum acquirendi, habendi vel amittendi finemque  
specialiorem & subordinatum occurrunt differentiæ; rem  
ipsum non mutabunt, sed tantum aliqualem à regula  
exceptionem, vel modo diversas species gignere aptæ erunt:  
adeo ut his suppositis Servitutes Romanorum & Germa-  
norum amplius natura & quoad essentiam suam differre  
neutiquam videantur.

## §. V.

Interim illud certum est satis: Jureconsultorum Roma- *Quo in-*  
norum nimiam sepe vel supervacuum accusationem qui- *differant*  
busdam subtilitatibus occasionem præbuuisse, quæ nostris *generatim*  
foris haſtenus ignorantur: imo & plura esse, quæ ob di- *servitutes*  
versum Reipublica nostræ statum vel nativis moribus vel *Romanō-*  
legislatorum sanctionibus ab usu repelluntur. Ast non *rum &*  
tollunt hæc ipsa naturam rei neque ea, quæ servitutibus *Germanō-*  
subſtantialia ſunt, vel ad essentiam earum pertinent, iis- *rum.*  
dem ſubvertuntur. Hinc inconsultum eſſet species aliquo  
ſaltem intuitu à communī generis habitudine ratione unius  
aliusve circumſtantiæ abeuntes, ab universa ejus essentia,  
quæ ipsis incorrupta servatur excludere: non ſecus ac fi  
quis canem latrare nescientem, vel corvum aliqua coloris

A 3

diver-

diversitate conspicuum ex classe sui generis ejicere vellent.  
Conveniant itaque essentia sua servitus Romana & Germanica, differant vero, quod non negari potest, insignibus aliquot cujusque proprietatibus.

## §. VI.

*Servitu-  
tum origo  
quatu-  
plex.*

Ut autem omnis res natura sua presumitur libera; ita sponte consequitur: omnem servitutem originem ab hominum voluntate arcessendam esse. Ex quibus itaque causis aliquis res suas ex suo transmittere potest dominio, ex iis etiam constitui potest servitus. Unde cum saepe transmittetur aliquius rei dominium aliqua pristini juris particula retenta, ortae sunt praediorum servitudes, adeo ut primario ex pactis sint derivandas. Interim aliae causa, quae ad dominium transferendum habiles existunt, non excluduntur, adeo ut servitudes aliquando ex lege, *ut v. c.* l. 14. C. §. fin. de Servitutibus & aqua, vel etiam statuto, quale est apud Vratilavenses circa servitutem Cloacæ in der Bau-Ordnung de A. 1668. §. Es soll auch iedermann den Schacht ic. & consuetudine vid. Sächs. LandR. L. II. Art. 49. & L. II. Art. 51. conf. Schwäbisch. LandR. Cap. 233. wie man Gruben graben soll in der Straßen. Aliquando ex arbitrio Judicis, vid. l. 22. §. 3. n. fam. hercise. aliquando ex dispositione testamenti vid. l. 19. d. l. n. quemadmodum servit. amittantur, ut plurimum vero ex conventione & transactionibus privatorum orientur. Præterea cum iam dictum sit, servitutem esse jus & onus reale, inde facile concluditur, quod ejus dominium & ab intestato ad heredes transmittatur, postquam illa semel est constituta. Sed hic modus acquirendi servitutem derivativus saltem est, nec confundendus cum prioribus, quos omnes hoc in loco ut originarios i. e. servitutem primo prædio alicui imponentes concepimus. Quibus suppositis natura servitutum etiam ratione sue originis clarior existet. Nec ulla hic inter servitudes Romanorum & Germanorum nota-

(7)

notatur differentia, præter illas, quæ ex conventione  
oriuntur.

### s. VII.

Hæc autem quæ pacto vel conventione nituntur ratione fundamenti sui ab inyicem discrepantes apparent. Enimvero tralatium est legibus Romanorum ex pacto, quod sine stipulationis solennitatibus contrahebatur, nemini competere actionem, quod moribus nostris hactenus secus est. Unde verba speculi Saxonici LandR. L. 1. art. VII. wer etwas gelobet / der soll es gelten / & proverbiū tritum: Ein Wort / ein Wort / ein Mann / ein Mann / etiam circa constitutiones servitutum Germanicarum valent, adeo ut etiam nuda verborum promissione, sine interventu rei, donari vel alio modo alienari possint: si modo iis in locis, ubi immobilia sine judicis consensu non alienantur, hic ipse accedat. Hinc elicitur, in Germania contra eum quoque actionem servitutis confessoriā locum habere, qui ex mero liberalitatis insinuā onus aliquod sine solennitatibus rei sua se impositurum promisit, quod sine dubio apud Romanos aliter se habuit. conf. B. SCHILTERIUS ad π. Ex. IIX. & Illustris STRYCKIUS in usu mod. π. §. 1. & seqq. Eodem modo contra remittentem servitutem actioni negotiorū vel etiam exceptioni remissionis erit locus, quæ non præteriri debuit servitutum Romanarum & Germanicarum differentia. conf. HUBERIUS in pral. ad π. b. t. §. 10.

### s. VIII.

De cætero circa acquisitionem servitutis apud Romanos solennis cesio requirebatur, vid. l. 39. π. de serv. manorum pred. urb. & l. 18. π. comm. pred. Solennitatis ejus describit UPLIANUS tit. XIX. §. 9. & pluribus GOTHOFREDUS ad b. l. Enimvero tres requirebantur personæ, cedentis tur, scilicet vindicantis & addicentis, quibus peculiares competebant Romanis consuetæ formulæ, quas refert CONFIUS.

TIUS. I. disp. 12. conf. FRANCISC. HOTTOMANNUS in  
Comment. Verb. Juris fol. 71. Ut vero apud nos harum for-  
mularum usus nunquam obtinuit; ita nullum est dubium,  
nec hisce solennibus in foris nostris usum relictum esse:  
quod jam notavit ULRICUS HUBERUS in pos. J. b. t. §. 28.  
29. Sufficit potius vel nuda promissio in servitutibus ne-  
gativis vel tantum patientia, conf. Illustris THOMASIUS in  
notis ad HUBERI pral. J. b. t. & ad STRAUCHIUM eod. loco  
diff. VII. 18. p. 88.

## §. IX.

Differen-  
tia ratione  
prescri-  
ptionis.

Est etiam notabilis differentia servitutis Romanæ &  
Germanicæ circa earum præscriptionem, vel usucacionem:  
quarvis enim priori tempore servitudes etiam consensu  
præsumto tacitove adeoque usucapione acquirere liceret  
sec. l. 4. §. fin. π. de usucap.; postea tamen peculiari legis  
Scriboniæ sanctione usucatio servitutum plane fuit abro-  
gata. vid. JACOBUS RAEWARDUS ad legem SCRIBONIAM.  
Opp. Tom. II. p. 801. Sed licebat interim libertatem usucapie-  
re ad lucrandam actionem negatoriam contra urgenteum  
servitutem, donec JUSTINIANUS abrogata lege Scribonia  
doctrinam de servitutis usucapione facilitavit, & tam  
usucapienda Servituti, quam libertati rei decennium con-  
tra præsentes, & viginti annos contra absentes per omnia  
constituit. vid. l. 13. C. de Servitut. conf. SCHILTERUS ad π.  
Ex. XIIX. §. VI. At vero hic mores Germanorum aliud se-  
quuntur: Doctores alias inter servitudes continuas & dis-  
continuas distinguunt, & illis longissimum præscriptionis  
tempus, his immemoriale assignant, in quo quidem mire  
variant, vid. pluribus Dn. OCKEL. de præscriptione immemo-  
riali c. VI. §. 4, qui an juris Romani fundamenta hoc ipso  
sequantur, an minus jam non investigabo: Sed illud fal-  
tem observandum existimo: quod jura Germania omni-  
bus difficultatibus & distinctionibus subtiliter excogitatis  
hic careant, & præscriptioni omnium rerum immobilium  
tum

7

tum corporalium tum incorporalium jo. annos unum an-  
num & diem constituant, quod probe notavit, *HEGINUS*  
*qu. XVI. n. 39.* cui prævit *WESENBECHIUS* in *partit. π. tit.*  
*de servit.* Fundamentum habes in *Sächsis. LandR. L. I. Art.*  
*XXIX, ubi conf.* *ZOBEL.* in *addit. n. a.* Usum vero modernum  
eiusdem testatur *CARPZOV.* *L. II. 4. def. 8.* Imo & præju-  
dicium ex *MODESTINO PISTORIO* refert Dn. *OCKEL.* *I. c.*  
cui add. *COLERUM Part. I. Decis. XX. p. m. 71.* Alia hic sunt  
jura statutaria locorum quorundam, quæ aliquando & à  
Jure Romanorum & Saxonum hac in parte abeunt: Ita  
in Silesia loco præscriptionis tricennalis introducta est  
salubris circa immobilium & incorporalium præscriptionem  
constitutio, ita ut bona allodialia coram judicio Virali (dem  
Mann, Gerichte vel etiam Curia istius Ducatus, in quo  
sita sunt cum omnibus juribus & oneribus ter vel quater  
proclamentur, & hinc post annum & diem incipiat præ-  
scriptio, quemadmodum habet formula præscriptionis:  
Wer Jahr und Tag schweigen wird / der soll und muß vor  
bah ewig schweigen. vid. *Fürstl. Oelsnische Lands. Ord.*  
*nung/ part. II. art. 3.* Vratislaviz autem servitutes præ-  
scriptione plane non acquiruntur. vid. *Bresl. Bau. Ord.*  
*nung de 1668.* cuius verba refert Doctissimus Silesiz Jctus,  
Dn. *SEIDEL.* in *comment. ad Inst.* qui haec tenus in *MSpt.* la-  
tet. b. t.

## §. X.

Quantum ad usum servitutum vel specialiorem finem *Differen-*  
attinet, leges Romanæ usum amenitatis seu voluptatis ab *tia ratione*  
usu utilitatis distinguunt, & hunc solum servitutibus con- *finis qua*  
venire assentunt. vid. *PAULLUS l. 8. π de Servitut.* Sed hu- *fit?*  
ius subtilitati jam olim contrarius fuit *POMPONIUS*, qui  
*l. 3. π. de aqua quid.* aquam etiam amenitatis causa *ex*  
alterius fonte duci posse existimat. Hos invicem conci-  
liare nititur *ULRICUS HUBERUS* in *præl. ad π. b. t. inter-*  
*amenitatem & voluptatem distinguendo: sed quemad-*  
modum

B

modum hæc distinguendi ratio communis sermoni haud congruit, ita præterea & alia notavit Dn. THOMASIU*s in annos. ibidem.* Quicquid hujus sit, sive consentiant invicem, PAULUS ac POMPONIUS, sive non; sufficit tamen quod illa Romanorum subtilitas moribus nostris non amplius attendatur, quodque servitutes germanicas etiam voluptatis causa configurantur, quod notarunt VERSTEGEN de Servit. pred. diff. I. ass. I. §. II. & celeberrimus Dn. D. KRESS. in specimine Jurisprudentie civilis. b. t. §. 4. Credo etiam quod mores recentiores non tot litibus ansam praebant, ut fieri potuit per legem Pauli, cum determinatu sepe sit difficile an quis servitute itineris voluptatis an utilitatis gratia utatur, v. g. qui exspatiatur valetudinis causa, &c. Nec ratio dubitandi adest, cur non possim alteri in prædio meo concedere: Venationem voluptatis causa tantum instituendam: Es solle eine Wilt Jagt jungenen vergönnet syn. Nec enim obstat, quod hoc jus ad alterum redundans nuue quidem personæ magis, cuius voluptati conceditur, quam ejus prædio tribuatur. Poterit enim quis hoc de prædio suo ita concedere, ut semper illud juris alterius prædio adeoque omnibus successoribus constituantur. Sic usus servitius personæ quidem commodum magis respiciet, quam prædiu, pertinebit tamen ad prædiu ejusque Possessores: qua observatione, ut credo occurritur iis, quæ pro Paulo disputat HUBERUS l. c. §. 6. qui voluptatem rei attributum non esse recte observat, sed mihi sufficit, quod hæc voluptatis perceptio rei vel prædio possit adhærere. Sic potero jus acquirere ædibus meis, ut liceat ex iisdem voluptatis gratia alterius hortum oculis meis usurpare. Nonne sic hortus illius servit, quodammodo ædibus meis, si supponatur, ante pæclum nostrum jus fenestrarum restrictum fuisse per statutum speciale, quale de Jure Prutenico refert illustris STRYCKIUS in usu mod. de servit. urb. pred. §. X. s. XI.

sub hom.

Eodem pertinet, quod idem PAULUS l. 28. π. de S. Differen-  
*P. II. in servitute perpetuam causam requirat, adeo ut ne  
 que ex lacu, neque ex stagno aqueductus concedi pos- tiamtione  
 sit. Ratio hujus requisiti neque ex ratione status, neque  
 ex natura rei reperiri potest, adeo ut facile subeat cogita- cause.  
 tio: forte & hic Paulum scripsisse JCTis mysteria. Attulit  
 aliquam rationem pro Paulo B. SCHILTERUS, in Ex. XIX.  
 ad π. §. XIV. quam nec ineptam, neque nimium subti-  
 lem, sed facilem cognitu & apertam existimat, quibus fa-  
 cile assentior: putem autem consequentiam hujus ratio-  
 nis non adeo stringere. Enimvero dicit SCHILTERUS  
 contra libertatem Quiritum fuisse, & hinc contra naturam  
 Servitudinem, ut cogeretur vicinus aliquid facere in suo,  
 quod sequeretur, si aqueductus ex aqua vicini opera  
 collecta constitueretur. Ast vero quid tum? poterat ne  
 civis Romanus operas suas locare? quare pugnaret cum  
 ejus dignitate hoc in casu libertati sux renunciare. In-  
 terim suffecerunt sepe JCTis antiquis rationes tam putati-  
 tia, in primis Paulo, & qui eum sequitur Pomponio,  
 quorum metaphysicam subtilitatem pluribus circa hanc  
 materiam notavit Illustris THOMASIUS in diff. Lipsiens. de  
 Servitute filicidii §. 26. sq. Nobis sufficit quod hic mores no-  
 stri aperte discrepant à Paulo & Pomponio, cum iam Im-  
 peratoris ANTONINI tempore apud Romanos hac subti-  
 litas abrogata fuerit docente UPLIANO l. 2. π. Comm. pra-  
 dior. prætereaque de moderno usu fori contrario testentur  
 GROENWEGEN de legibus abrogatis b. t. MANZIUS ad pr. 3. de  
 Servitut. B. SCHILT. l. c. STRYCKIUS in usu mod. tit. de S. P. II.  
 §. XVII. TITIUS ad LAUTERBACH obs. 244. nec non D. GEORG.  
 BEIER in pos. π. b. t. p. 253. De cætero cessat apud nos Pa-  
 ratitia illa de libertate Quiritum ratio, quidni simul cessa-  
 tet inutilis legis celebrinæ dispositio?*

*Transfici  
ad mate  
riam prin  
cipalem.*

Sunt qui ex hac putatia Romanorum ratione & il-  
lam derivant POMPONII subtilitatem, qua l. 15. π. de Ser-  
vit. asseritur: Servitutum non eam naturam esse, ut ali-  
quid faciat quis. Nos utrum recte ex hoc fonte deduc-  
ant, nondum disputabimus. Cum verò de Servitutibus  
in faciendo consistentibus apud JCTos passim disputetur,  
nec ubique rei controversa sufficiens appareat dilucidatio;  
non inutile nec injucundum duximus de hac materia ul-  
terius disquirere. Expedit enim nosse, quid Pomponio,  
expedit etiam nosse, quid moribus nostris, & rerum natu-  
rae tribuendum sit. Investigabimus itaque statum dissen-  
tionum, rationes affirmandi & negandi, usumque quaestio-  
nis declarabimus.

## CAP. II.

### *De Servitutum in faciendo con- sistentium existentia generatim.*

*Argumen-  
tum Ca-  
pius.*

**C**um vulgata opinione ex omissione factorum & pas-  
sione corundem Servitutum, negativarum & affir-  
mativarum orta sint species; nunc inquirendum  
est: annon iisdem addi quoque possitertia, quam  
servitutum activarum compendii gratia vogare placet. Si  
negativam queras responsionem, manibus pedibusque in  
quam ibunt sententiam POMPONIUS, SCÆVOLA, BAR-  
TOLUS, BALDUS & pene universa, quz apices & syl-  
labas

❀ (13) ❀

Iabas Tribonianæ collectionis adorat, Doctorum Schola. Neque hæc sola, sed & illorum tibi obstabit auctori-  
tas, qui debitis eruditionis judicique subsidii instructi  
Jurisprudentia incrementis inservierunt. Illud saltem su-  
pereit solatii, posse & hic opinioni communi opponi opi-  
nionem non minus communem. Affirmantium enim  
partes juvabunt Jctorum Germanicorum æque celeberrimi-  
orum non pauci. A partibus erunt BRUNNEMAN-  
NUS, SCHILTERUS, STRYCKIUS, THOMASIUS,  
SVESERUS, BEIERUS, BOEHMERUS, TITIUS, KRES-  
SIUS, & forte plures quorum nunc non succurrunt nomina.  
Quanam itaque via procedendum, quæ castra petenda,  
quibus tribuenda veritatis ratio, illud investigare & diffi-  
cile erit & pericolosum. Agendum itaque caute, ut ne-  
cujus honori quid decedat, neque quid præter mentem  
tribuatur, neque veritatis derelinquatur vexillum.

§. II.

Ut autem hoc, ut decet, perficiatur aliquot nobis se-  
parandæ videntur quæstiones, quibus confusis status contro-  
versiarum apparere non posset. Nimirum alia est quæstio, quan-  
do queritur: I. an Servitus per naturam suam in faciendo Status  
confistere queat? alia II. an Servitus activa in dubio præ-  
sumi debat v. c. an præsumendum sit, illum qui patitur  
servitutem Itineris ad reficiendum pontem teneri? alia est  
III. arinon ex speciali pacto tales servitudes constituerem-  
que posse? cum quibus tandem non est confundenda.  
quæstio IV: an tales in faciendo consistentes Servitudes  
actu dentur? Hæ si rite separantur pariter ac consideren-  
tur; non erit impossibile difficultatibus, queis primo in-  
tuitu res obnoxia videbatur, debito modo occurrere.

Etiam in quaestione III. ibidem dubium est.

§. III.

Et primo quidem circa finam questionem occupatos Fundame-  
nos esse decet, cum ab hujus declaratione ac decisione, tum gene-  
re reli- rale.

reliquarum dijunctio fere pendeat. Hic vero ostendendum erit: Servitutem in faciendo per naturam consistere posse, idque nec rei natura, nec idex Servitutis generali repugnare, nec item tantummodo de voce, sed de ipsa esse. Hoc ut appareat observari debet: in effectu iuris plurimum differre jus ad rem ex re alterius percipendum, privilegia singulatum competentia, & Servitutes. Jus ad rem percipiendum est potestas aliquod commodum ex re alterius ob factum ejus percipiendi petendique actione personali. Huc aliquando pertinet census pacitius, ubi ob non solutum censum Dominus non expellit censiticum. Sed executione ad solutionem cogit. vid. FRANSKIUS de laudemis cap. X. n. 61. SCHILTER. ad J. 1. de locat. & conduct. apb. V. & sic locum haber actio personalis: ubi tamen non contrarius sum FRANSKIO qui in resol. inter censum realem & personalem distinguit. Privilegia singulatum competentia sunt exceptions à lege reliquorum civium actiones restringente; Ita Jus monopolii, braxandi &c. differunt. Servitus prædialis scilicet est Jus in re aliena ex eadem certum commodum ratione prædii nostri percipiendi. vid. MANZIUS ad J. b. t. nec non in tractatu de Servitutibus tit. I. n. 17. p. m. 7. Ubiunque itaque omnes iuris effectus ex servitute orientes vim suam exserunt; ibi quoque res invito quamvis Pomponio, servitutis vocabulum non amplius respuet.

## §. V.

Effectus autem juris critica Servitutis materiam sunt.  
 (1.) restrictio alterius dominii. (2.) participatio de alterius dominio. (3.) potestas percipiendi aliquod commodum. (4.) & quidem ex prædio ejus in præmium meum redundans. (5.) idque petendi actione reali Fluunt hæc omnia ex definitione allata prono nexu, & quotidianæ sunt præcessos: quoque itaque ea in servitutibus in faciendo consistenti-

( 15 )

sistentibus occurunt, eaterius recte hoc nomen hoc quoque trahitur. Atque hæc generalis sententia nostra ratio hæc tenus sufficiet: Poteramus equidem subiectere & alias, simulque ad experientiam & exempla provocare, sed hoc commodius alio loco fieri poterit.

§. V.

Supponimus itaque naturæ servitutis factum quodpiam non repugnare. Sed contradicit. *POMPONIUS l. 15. l. 15. n. de π. de Servit. inquiens: Servitum non ea natura est, ut ali- servit. pro- quid faciat quis, (veluti viridaria tollat, aut anæniorem pro- posita. spectum præferat, aut in hoc ut in suo pingat) sed ut aliquid pa- tiantur aut non faciat. Sensus est dubius nec certum est sa- tis an Pomponius de quæstione prima, an de secunda, an verò de utraque loquatur. Si de prima loquitur; nescio quo in ille Servitutis naturam quaesiverit, & quænam servi- tuti Pomponianæ sint essentialia vel substantialia. Ne- que subodorari possim rationem, quam ipse dictis suis supposuerit loco fundamenti. Imo eandem subodorati non sunt plurimi Interpretum etiam non indocti. *BARTO- LLIUS ad l. quæstiones π. de Servit. remittit se ad l. sicuti π. se servit. vendic. sed ubique nihil dicit. Idem utroque in lo- co egit *BALDUS ibid.* Sed quis ab his rationes ex- spectet?**

§. VI.

Interim illos non mirabitur, qui JCTos eruditos ma- gis, recentioresque legi rationem neglexisse perspiciet. An ratione Continget hoc insipienti *WISSENBACHIUM ad π. diff. XX. n. 3. COEPOLLAM tr. de Servit. c. 12. FERD. WAITZE. NEGGERUM in tr. de servit. diff. I. c. II. n. II. STRAUCHIUM diff. VII. n. III. BRUNNEMANNUM ad l. 15. π. b. t. & RA- CHELIUM in Insti. Jurisprud. L. II. tit. XIII. Notum est viros nominatos (quorum alii plures numerare poterunt) fuisse*

fuisse eruditione pariter ac dijudicandi seu ratiocinandi facultate instructissimos, adeoque conjicio rationem Pomponii inventu haud facilem existere, cum J<sup>cti</sup> alioquin rationum reddendarum studiosi satis ac periti eam prætire silentio duxerint satis.

## S. VII.

*Ratio We-  
senbecii.* Sed audiamus potius illos, qui rationem legis nobis propinanit. Hos inter agmen dicit magna<sup>z</sup> alioquin au<sup>c</sup>toritatis J<sup>ctus</sup> MATTHAEUS WESENBECKIUS ad π. b. t p. m. „114. illud pro ratione adæquata assertio<sup>n</sup>is venditans: „quod hoc fieri ab alio prædi<sup>o</sup> nostri nihil interfit. Sequitur eum CASPAR. MANZIUS de Servitat. Tit. IV. n. 9. p. m. 381. Videri poterat hæc ratio valde conveniens, cum eadem in eadem lege à Pomponio prolata legatur, adeo ut non sit vero admodum dissimile: ad eandem respexisse Pomponium. Ast vero si huc respexit; sine dubio erravit (sit ve-  
nia verbo) & quod magis est sibi contradixit Pomponius. Conf. que notvimus sup. Cap. 1. §. X. Cur enim quæso, si naturam rei spectes (de qua hic philosophamur) non li-  
ceat servitutem sine utilitatis ratione habita constituere? vid. TITIUS Juris priv. L. III. c. XXII. §. 13. Imo negavit hoc PAULUS l. 8. π. de servit. ast contradixit LABEO vir si non majoris certe non minoris judicii. l. 19. π. ibid. nec hæc tenus huic vulneri antinomico satis medelæ allatum fuit. Præterea falsissimum est: prædi<sup>o</sup> nostri nihil interesse, an vicinus viridaria tollat, & prospectum amœniorem præstet, an liceat possessori hujus prædi<sup>o</sup> in alterius horto spatiani, cenari, &c. cum & amœnitatis detur utilitas, recreatio-  
que tempestiva utique sit proficia, & prædi<sup>o</sup> nostri pre-  
tium tali jure addito adaugeatur: quod recte observavit. JO. VERSTEGEN diss. de servit. præd. p. m. 261. Fallit itaque ratio WESENBECKI atque MANZII.

## §. VIII.

Aliam viam ingreditur FRANCISCUS DUARENUS in Ratio tie. I. de Servit. Opp. p. m. 253. Existimat hic: Servitatem non Duarenus posse in faciendo consistere, cum sit res, hanc rem fundi dominum à se in alium transferre & hac translatione liberari non aliter, ac venditorem rei corporalis. Verum ni fallor simile claudicat, & nescio utrum à venditione rei corporalis ad constitutionem servitutis argumentari liceat. Sane illud verum est, quod ille qui præstirūt præstanta nulla actione amplius conveniri queat: ait inde non sequitur, prohiberi, ne quis se ad aliquid perpetuo præstandum obliget, quod vel exemplo census constare potest. Eodem modo dubium est, an Titius, qui Jus pascendi prædio Caji servitutis nomine concessit, servitute constituta liberatus, cum prædium ipsius alteri annuatim adhuc grama præstare cogatur in quo huic juri conveniet cum servitibus nostris factivis. Hinc ut credo Duarenus hic non tam de quæstione prima, quam secunda, de qua mox agemus, intelligendus est, si sani aliquid sensui ejus inesse velimus, neque per rationem allatam haec tenus ostensum est: Servitutum naturæ repugnare aliquid facere.

## §. IX.

Non majoris momenti est ratio, quam attulit cum aliis JO. SUPERIOR. in comment. ad L. 15. Servitutum, ut & Superioria ULRICUS HUBERIUS in prel. ad π. de servit. n. 5. quod & Huber nempe prædium & res non homo serviat. Existimant ut puto, opinio, facere esse hominum, pati & non facere esse prædiorum affectionem, hinc impossibile natura esse, ut servitus prædialis in faciendo consistat. Sed salva res est sufficit enim, quod possessio nomine prædii facere posit. Sermo hic est omnis de servitutibus realibus seu prædialibus. Hæ vero

C

vero

vero tales dicuntur, quia non nisi prædiis & rebus immo-  
bilis immediate cohærent, & sine persona subsistere  
possunt adeoque ad successores cum rebus transeunt, uti  
addit rationem **JUS PRUSSLÆ PROVINCIALE**. L. III. tit. II.  
art. I. de servit. rust. & urb. §. 1. & 4. Cur autem nostra one-  
ra de quibus loquimur, non etiam prædiis cohærent? Si  
itaque cohærent, transit obligatio ad possessores futuros,  
quia hi sine onere rem vel pacto vel lege oneratam com-  
parare non possunt, adeoque hanc comparando in illud  
onus consentiunt vid. celeberrimus Lipsiens. JCTus Dn.  
**TITIUS Juris privat.** L. III. c. XIII. §. 16. 17. 18. Neque du-  
rior est locutio, dum dicimus prædiūm aliquid facere, cum  
eodem modo dicamus: hoc prædiūm præstat censum: Der  
Weinberg zinhet dem Kloſſer zu N. der Acker ist dienſtſchlich  
ig und Frohnet dem Ritter-Gute zu N.

## §. X.

**Objecțio**  
**Huberii.**

Dices: vero ex pæto non oriri jus contra tertium  
sc. qui posidet. **HUBER.** l. c. n. 7. Ast ſupponamus: illum,  
qui conſtituit ſervitutem, eſſe verum rerum ſuarum domi-  
num, nec alteri cuiquam bonis ſuis obligari, ſed de iis pro-  
lubitu teſtari, eaque alienare poſſe, cur non etiam liceret  
eidem prædiūm ſuo, quod totum alienare poterat five pæ-  
to, five teſtamento imponeſe onus perpetuum & adfutu-  
ros poſſeffores transmiſibile onus reale? Annon Succeſ-  
ſor eam ob rationem recipit dominium prædiūm cum omni-  
bus adhærentibus juribus, privilegiis & oneribus realibus?  
Eodem modo hodie quotidie prædiūm rusticis à poſſeffori-  
bus preſentibus imponi ſolent onera cenſualia, quæ dein  
ad futuros poſſeffores quoſcunq[ue] tranſeunt. Poteſt in-  
terim abſtinere ab hereditate prædiūm ſervientis, poſteſſe  
ſuare emtionem ejusdem, hoc arbitrio ejus relinquitur: Fa-  
cto contraſto ſibi præjudicium fieri, nemini niſi ſua im-  
putet

putet voluntati. Nullam hic differentiam faciet: an servitus in faciendo an in patiendo consistat. conf. Dn. *TITIUS* l. c. §. 16. & 21. Aliud vero est; si singularis heredibus prospiciat legislatio, ita ut plane alienatio bonorum alicui prohibeatur: ab hac enim etiam ad servitutis constitucionem procedet argumentatio. Hocque ibi locorum obtinetur, sicuti obseretur in praxi consuetudo de alienatione bonorum ohne der Erben Laub de qua vid. *Sachs. Land. R.*  
*L. I. Art. LII.*

## §. XI.

Aliam rationem legis obstantis Pomponianæ attulit *Ratio*  
*B. SCHILTERUS* in *Ex. XIIX*, ad nr. §. XIV: *contra libertatem Schilteri.*  
*Quirium suisse & hinc contra naturam servitutum, ut cogeretur*  
*aliquid facere in suo.* Ut vero & ipse *SCHILTERUS* hanc  
*rationem apud Germanos locum non invenire testatur; ita*  
*& apud Romanos putatitia erat & imaginaria neque forte*  
*omnibus Romæ civibus sat cognita fuit, multo minus ean-*  
*dem in Germania reperiire licebit.* Sed tetigimus illam,  
*quantum sufficit cap. preced. §. XI.* ergo hic tacere non  
~~erit incongruum, eritque conveniens: statuere Philoso-~~  
~~phiam Pomponii esse intricatam, simulatam & scholam~~  
~~sapere nec solido rei inniti fundamento.~~ Objicis forte:  
~~sed interim ita voluit lex Pomponii, cui nos non debe-~~  
~~mus contradicere.~~ Ast dabis veniam: definitio & lex dif-  
~~ferunt: ICri ubi leges ferunt: præcipiunt & judican: ubi~~  
~~vero definitiones conficiunt: philosophantur & disputant.~~  
~~Tunc autem unicuique proprium supererit arbitrium, po-~~  
~~teritque quisque de rebus ipsis earumque natura, suo uti~~  
~~judicio.~~ Præterea hoc capite non est quæstio, quid Romæ  
fuerit creditum, sed quid natura rei sentiendum suadeat.  
Vidimus verò factum natura servitutis non repugnare,  
ergo quæstionem primam affirmare nil prohibebit, neque  
obstat Pomponii auctoritas.

## §. XII.

*Quæstio  
secunda  
formatur.*

Interim juvare poterit Pomponii Philosophiam, si eam ad questionem secundam applicaverimus. Enimvero separata ab hactenus dictis est quæstio: an quis ad aliquid patiendum obligatus simul etiam per consequens ad ea, quæ passio illa supponit, facienda sit obstrictus, sive: an servitutes in patiënto consenserentes simul supponant obligationem aliquid faciendi, talesque debeant presumi? Negativam sequitur communis schola sententiam, nisi quod aliqui exemplum de servitute oneris ferendi & per consequens reficiendi parietem ex l. 6. §. 2. m. si servit. vind. excipiant. Negabimus & nos sed cum debita cautione & limitatione, ne propriis nos involvamus laqueis. Scilicet notum est ex iuri naturali præceptis: dominium ab arbitrio hominum cepisse, & antea omnia libera extitisse. Hinc rem quamcunque sua natura presumi liberam denique ob eam rationem Servitutem strictiorem requiret interpretationem, vid. CARPOV. decis. Sax. Illustr. P. II. Dec. CVI. adeoque præsumptionem pugnare contra factum, quo graveretur prædium serviens, magis cum sit credibile: aliquem servitutem non faciendi vel patiënti quam faciendi constituisse, quippe quæ minus oneris involvunt.

## §. XIII.

*Responso  
ad eam.*

Ergo qui Servitutem viæ constituit non statim ad ejus refectionem se quoque obligasse præsumetur, hucque pertinet regula IULIANI, l. 6. §. 2. m. si servit. vind. quod in omnibus refectio ad eum pertineat, qui sibi servitutem asserit: non ad eum, cuius res servit. Distinguendum tamen & hic, cum aliter ex rei natura, aliter ex conventione sequatur decisio. Curate hic procedit laudatus Dn. TITIUS l.c. §. 19. distinguishingendo: utrum res serviens, solum prædii dominantis

„tis domino utilitatem adferat, an servientis domino quo-  
„que simul sit utilis? Si prius; dominus prædii servientis  
saltē pati tenebitur, nisi aliter conventum sit. Sin po-  
sterius; necessario serviens aliquid faciet; alias enim justius  
diceretur hic servire, qui refectionis sumptus ficeret, quam  
ille qui onera ferret ut loquitur *JO. SUPERIOR.* loc. cit. De  
priori casu capiendus forte *GALLUS* JCTus l. 6. §. 2. π. si  
serv. vind. nec non præjudicium, quod ex propria causa  
allegat *HIBERIUS* ad π. tit. de serv. n. 2. De posteriori ca-  
picio decisionem tum *SERVITI*, tum *LABEONIS* quam recen-  
set *ULPIANUS* l. cit. 6. §. 2. π. de servitut. Sic qui servitutem  
itineris, viz. actusque alteri præstat, cum ipse iisdem  
non utatur adsumptus refectionis regulariter non tenebitur.  
Qui vero alteri constituit Servitutem pecorum ad aquam  
appulsus in fonte quo ipse quoque utitur, mea opinione  
obligatus est ad conservationem & refectionem rerum huc  
pertinentium v. g. Die Fränck-Rinne/ den Fränck-Trog/  
den Born-Schwendel/ und den Brunnen selbst zu erhalten/  
minimum quoad dimidiam partem ut habet *TITIUS* l. c.,  
Dominusque agere poterit aut ad dimidiam refectionis  
partem, aut ad desertionem fontis: alias enim servitus hoc  
nominis non mereretur, cum nemo jus servitutis, quod pe-  
ne onerosum est, sibi acquisivisse præsumi queat.

## §. XIV.

Aliter adhuc se res habet in celebri illa servitute one. *Applicatio-*  
*ris ferendi, qua vicinus obligatur ad faciendum aliquid ad servitu-*  
*m in suo (einen Balken zu halten) quamque jam olim le temferen-*  
*galisimus BALDUS ad l. 15. π. de servit. & vocavit servitu-*  
*tem, & à superiori remota POMPONII regula removit.*  
Disputant de hac mirifice & torquent se interpres, quo  
minus *POMPONIUM* deserere cogantur. Alii distinguunt  
inter facere directo & per consequentiam, vid. *VERSTE-*

*GEN* diff. I. aff. 15, alii inter regulam & exceptionem, *HILBER.* b. l. *MANZIUS* de Servit. tit. IV. n. 10. alii peculiarem obseruantiam allegant, *JO. SUPERIOR.* ad l. 15. n. de Servit. allii pro ratione perpetuitatem causæ allegant, *CASPAR. SCHMID.* in comment. ad Statut. Bavari. Tom. III. tit. 26. n. 10. p. 278. *COEPOLLA* de servit. c. 37. & c. 58. alii ad vocabulum ferendi configunt. *VOET.* ad n. de S. P. II. §. 1. Quorundem te vertas dubius non satisfiet, neque nos superiores assertiones hoc trahimus. Si dicendum quod res est; mea opinione, quam nemini obtrudere animus est, illud saltem difficultates peperit, quod JCri de natura servitutum & exinde ad præsumptionem rationari voluerint, ubi potius litera scripta expetenda erat. Tentabo quid utilitatis adferat §. XIII. declarata distinctio. Nonne Servitus tigni immittendi & oneris ferendi valde affines sunt? Nonne eaurundem separatio pendet à causa constitutionis? Unde vero innotescet constitutionis modus an ex præsumptione, an ex verbis scriptis? Si ex præsumptione agendum; unde fontes conjecturarum fluent? Forte ex natura servitutum, hic vero aut *POMPONIUS*, aut nos autor erimus. Si ille; sequitur onus ferri non debere, quod est contra communem opinionem. Apud nos nullum præsidium, cum saltem docuerimus quod Servitutes quædam in faciendo consistere possint, non quod aliquas in hoc consistere oporteat. Ergo remanent conventio, scriptura, pactum, Lex, consuetudo, quæd jam quamvis obscure notavit *CORASIUS* ad rubric. n. de servit. n. 73. Ergo probandum est illi, qui vult, ut alter onus ferat, ita conventum esse, aut consuetudines velle, aut leges præcipere, ut nulla servitus tigni immittendi locum inveniat, nisi quoque oneris ferendi onus simul appareat. Ex rei natura nemini hic ullum nasceretur præsidium. Nec hic in pejorem partem interpretari decet *GALLI* atque *SERVII* dissensiones, cum ratio-  
cinando quilibet hic quid pro se inveniat, adeò ut vere hic

hic appareat quod alii de Scepticismo juridico conquesti  
sunt. vid. B. D. HEBERI progr. de Scepticismo juridico.

§. XV.

Atque hinc simul appetet, quid responderi debeat,  
ad questionem tertiam: *an quis speciali pacto servitutem in faciendo constitueret possit?* Vidimus enim quod Servitutum natura non repugnet, vidimus quoque exemplum, quod nec ipsi Romani damnare potuerunt. Unde regularum: Quod Servitutum natura non sit ut aliquis faciat, limitat *WESENBECKIUS* ad π. tit. de servit. nisi vel natura servitutis vel pactum contrahentium id postuleret. Unde licet pacifici non tantum de onere ferendo, sed etiam de aqua ductu praestando & conservando, de servitute itineris & via reficienda, de portis aperiendis, de cloaca purganda, &c. Adeo haec vera sunt, ut ipse *BALDUS* ad l. 6. se serv. vind. confessus fuerit: in servitute oneris ferendi obligationem ad faciendum ex promissione ortum trahere, cur itaque non licet a simili ad simile argumentari? Agnovit hoc *HUBER*. in prel. ad π. de serv. n. 2. qui vero num. 5. denuo fluctus in simplici movit. Nos saltem ex hac sententia dictis inferemus: Si pactus fueris simpliciter: Te velle v. c. Vicini sordibus per aedes tuas cursum parare, nascentur saltem Jus personale. Si vero pacto expresse constituta sit servitus de sordibus via paranda; erit servitus prædialis ex conventione oriunda in faciendo consistens: Sed haec omnia (quatenus facti sunt) ex primorum pacificentium vel testantium vel transfigentium, vel arbitrantium voluntate pendent, & singularia ad probandum requirunt monumenta; non aliter ac quodam feuda litteris investiture nituntur. Supereft *questio quarta: an servitutes aetive unquam alii existerint?* verum hanc peculiari capite considerare magis erit conveniens.

CAP.

## CAP. III.

*De Servitutibus in faciendo constitutibus speciatim.*

§. I.

*Questio  
quarta  
declarata.*

**O**Stendendum itaque est ulterius: plures posse dari & constitui servitudes activas, imo plures etiam vel de consuetudine vel ex pacto alicubi locorum rum apparere. Utrumque non erit difficile, prius tamen facilius, cum constitutio possibilis non nisi à voluntate humana pendaat, hujus autem conatus modo hoc, modo aliorum tendant. Ergo sufficere poterat annotasse: quod omnia pacta licita hic in censum veniant. At infinita dantur pacificandi genera, neque omnium locorum personarumque circumstantia oculis obversari possunt: inde satis erit quasdam talium servitutum (quæ constitui poterant) annotasse, neque opus erit circa justam & plenariam recensionem elaborare, quippe quæ & impossibilis & non necessaria videtur.

§. II.

*Summa-  
ria ad illa  
refessio.*

Cum autem assertum sit superius: posse pacto servitudem in faciendo constitui; sequitur hinc, quod, ubicunque mihi constituitur, ibi quoque constituens volens se ad onus faciendi obligare poscit, & consequenter etiam ab illo obligari posse successorem ejus, per ea quæ dicta sunt superius. Ita alicubi prædii incolæ poterunt obligari ut in gratiam prædii vicini, cui servitutem venationis hoc præmium

prædium debet, retia ferant, (die Nehe zu tragen) Canes ducant, (die Hunde zu führen). Poterit se prædium, quod jus pascendi debet alteri prædio, adstringere ad pontium reparationem; Idem fieri poterit in servitute viæ atque iteris. Poterit is qui servitutem Cloaca debet, eidem ut cursum paret, se obligare, & quæ alia sunt infinita, de quibus domini prædiorum commoditatis causa pacisci poterunt.

## §. III.

Sed vero dantur tales servitutes etiam ex aliis causis *Species servitutis*  
neque existimandum est, ac si tales nunquam legè fuissent *servitutis*  
constitute, cum contrarium testetur experientia. Recen- *Ima Ope-*  
sebimus exempla potiora, circa quæ tamen an primas legi, *nari.*  
an consuetudini, an pacto, an testamento origines de-  
beant non disquiremus. Sufficit ad illarum Servitutum  
præstationem hodie quidem possessorem prædii ex volun-  
tate aliena non propria obligari. Atque huc primo qui-  
dem servitutem jumentorum & operarum, quam germani-  
cè Frohn-Dienste / Schar-Werke / Hofe-Dienst app-  
pellant, referre licebit. Evidem non incognitum est,  
quod hæc ipsa servitia primo intuitu personalia tantum  
videri possint, quod etiam pro talibus communiter ven-  
ditentur, imo quod aliquando (ut in præfectura Jenensi)  
neque personis, neque prædiis sed jumentis inhærent.  
Ast de ultimis non dubito, de prioribus autem res facile  
poterit expediri.

## §. IV.

In vulgus notum est: duplicitis generis esse hæc ope- *Est servi-*  
rarum servitia, & in diversa fundari origine. Enimvero, *tus præ-*  
qui talia præstant, vel sunt homines proprii, vel homines *dialis,*  
sui juris. Ipsi, quorum iura satis explicata sunt THO-  
MASIO, HERTIO, ET POTGIESERO, huc jam non  
pertinent. Hi non serviant ratione personæ neque suæ,  
neque dominantis, sed ratione prædiorum, adeoque eo-  
rundem

rundem servitia ad genus servitutis prædialis in faciendo  
consistentis se referunt natura sua. Omnes itaque juris  
effectus superius indicati, qui servitibus alioquin com-  
petunt, hic locum invenient. Adeo hoc verum est, ut  
vel ipse eruditissimus Ictus CASPAR MANZIUS, qui  
alioquin in tractatu de Servitibus à nobis discessit, de his  
servitiis afferat: quod sint onera realia & prædiis inhæ-  
rent ad eo, ut quoconque prædia vadant, ad possesso-  
res etiam ista servitia una transeat; etiam si nobiles com-  
parent bona rusticorum: utque actio servitorum horum  
in rem esse dicatur. vid. Ejusd. Decisi. Palati. qu. XXII.  
n. 14. & conf. CASPAR ZIEGLER ad præxi. Calvoli. const. I.  
§. nobiles. n. 132. Hinc & sicut canis leporēm, sicut, lepra  
leprofum, ita Doctoribus onus emptorem sequi videtur.  
vid. SPEIDEL. speciali not. a. voce Bauren Gütter / nec non  
LEISSER. in jure Georg. L. III. c. XXVII. p. 844. Atque  
sic opera & ope possessoris sive per illum prædium tale ser-  
vit alteri prædio, estque manetque servitus prædialis.

*Notantur  
species  
eiusdem.*

Cum vero plurima operarum sint genera; facile est  
judicatu, & hanc servitutem plures diversasque ab invi-  
ceme sub se complecti species: interim cum pro arbitrio  
hominum constitui potuerint numerum earundem cura-  
tiorem inire supervacuum esset pariter ac impossibile.  
Discetur potius earundem differentia in locis, ubi præstan-  
da veniunt. Dua saltem divisiones præteriri non de-  
bent. Primo enim haec operæ vel jumentis vel manibus  
præstantur, unde distinctio: in Hand und Wagen Dien-  
ste / item: in Husner / Anspanner / Pferdner / und Hand-  
Frohner / Hunter / Sattler / Kötner / RothzSachsen / Cos-  
saten. Haec ut servituti applicentur nomina, ejus origo  
erit investiganda, ut prodeat primi constituentis animus.

Eodem

Eodem modo hoc faciet distinctio operarum determinatarum & indeterminatarum (gemeineser und ungemeineser Dienste). Haec sine dubio sunt hominum priorum five minimum libertorum: illa vero ad praedia adeoque ad hunc locum pertinent. Etenim vix videatur verosimile: aliquem eam servitutem alteri constitutum, ut plane ab ipsius nutu pendere necessum habeat. Hinc fluit regula: Quoties opera sunt determinatae, toties presumi easdem esse reales: indeterminatae vero personalibus accentebuntur. conf. ZIEGLER. ad praxin. Calvol. concl. I. §. nobiles. n. 55. 56. 70. EUCHARIUS ERHARDT de operis rusticorum concl. VI. & VII. LEISSEUR. in jure. GEORG. L. III. c. XXVII. n. 15. 16.

## §. VI.

De cetero, uti jam dictum est, tot harum operarum Offendun.  
& totuplicia dantur exempla, quot diversissimæ reperiuntur tur exempla.  
locorum consuetudines. Commemorandæ tamen sunt, plaz.  
quædam, ne plane exemplis nostra videri possit definitio.  
Ita servitia haec sunt alibi aratoria, alibi messoria, alibi  
alia. Alicubi rusticci obligantur: Den Herbst Grummel zu machen / den Höpfen zu pflücken. vid. ERHARDT l. c. concl.  
7. LEISSEUR. l. c. L. III. c. XXVII. Alicubi unius prædii incolæ aliquando ut alterius prædii, cuius venandi competit, Domino serviant canum curatione (mit Kuppel-Fühe-  
ren). Imo ipsorum Rusticorum prædia sibi invicem ser-  
viunt, ita ut alterum obligetur alteri: Drey Tage pflügen zu helfen / den Zaun und Parchen zu halten / 6. Tage Graß zu hauen / etliche Schöck zu Dreschen / einen Acker mit Pflug und Zug zubestellen / die Wasser-Furche zu halten / jährlich drey Holz-Fuhren in nächsten Wald zu thun / & quæ alia succurrent infinita, quibus hac in parte presto est rei agrariæ cognitio. conf. B. Dn. STRICK, in usu modern. n. tit. de Servit. §. V.

D 2

§. VII.

*Probatur  
uterius.*

Nobis jam quidem sufficit hocce servitii genus, in faciendo consistere, prædio simul inhærere, distinctissimum esse à servitiis personalibus hominum propriorum, adeoque nomen servitutis prædialis certo certius mereri. conf. Dn. SUESER. in theatro servit. tit. XX. §. 3. & qui clarius nobis viam prævit Dn. D. KRESS. in Specimine Jurispr. b. t. De cætero fundamentum rei nobis suppeditat SPECULATOR SAXONICUS im Land-Recht L. I. art. II. ubi de proprietariis (den Pfleghästen) quos GLOSSA n. 4. di-  
stinctius describit verbis: Pfleghästen sind / die in dem  
„Lande eigenes haben / da sie pflichtig sind etwas vorzuge-  
ben oder zu thun: Scilicet homines sui juris pradium  
habentes in dominio cum onere præstante alicuius servi-  
tutis. Cum his pene convenienter die Dienst-Manne/ quos  
anxie ab hominibus propriis separat glossa ad LandR.  
L. III. Art. XLII. inquiens: Etliche Dienstbarkeit liegt auf  
einem Manne, also daß er dienen muß und diese sind eigen.  
Etlicher Leute Dienstbarkeit aber liegt allein auf ihrem Gute,  
also daß wer dasselbige Gut hat / muß davor dienen.

S. VIII.

*Servitus  
saltationis  
necessaria.*

Nescio annon quodammodo hoc quoque referendum sit ridiculum servitus exemplum, quod saltationem ne-cessariam (den Frohn-Tanz) abi obtinet, appellant. Enim vero in Dynastia Gerana oppido Langenberg consuetudinis est, ut tertia Pentecostes feria ex certis quibusdam pagis tum ejusdem Dynastiae tum etiam peregrinae jurisdictionis subditu convenient, & quisque cum uxore sua vel filia in loco publico adhunc actum destinato compareat, singulique choream ducant, nisi mulètam sexagenæ incurgere velint. Choream hancce primus incipit Apparitor judicij (der Gerichts-Rueht) cæteri suo se ordine insequantur. Saltantibus vero pro hocce servitii genere certus

certus placentularum numerus & aliquot cerevisie mensura portiguntur. vid. B. PETRUS MULLER. in *Ita-  
risprudent. Element. coroll. 2. ad d'ßut. XIIIX*, nec non Illustris  
Dn. WILDVOGEL. de Jure fessorum Exerc. IV. c. IV. §. IX.  
p. 210. Originem hujus servitii aliis investigandam relin-  
quo; illud saltem observo: onus hocce prædiis inhærere,  
& ab incolis prædiorum præstari, adeoque saltem in hoc-  
ce cum servitiis & operis prædialibus convenire.

## S. IX.

Clariori jure, ni fallor, *huc pertinent Servitutes ali-*  
*quot, quæ moribus Germanicæ magis communibus origi-*  
*nibus debent. Tales sunt Servitutes, quibus quis quasi*  
*publico serviens in gratiam vicinorum circa rem suam ali-*  
*quid in suo facere obstringitur. Sic servitus fontis tegen-*  
*di & viæ parandæ commemoranda, de qua SPECULATOR*  
*SUEVICUS im Land-Recht cap. CCXXXIII. p. 80. Edit.*  
„Goldast. ita habet: Der Brunnen oder Gruben grabet/  
„der sol sie bewahren und verbrücken als hoch ob der Erden/  
„dass es einem Mann gang über seine Knie. it. Ein ieglis/  
„cher Mann sol weg machen vor seiner Thüre / oder vor  
„seinem Gut sieben Schuh weity das ander Theil sol die  
„Gemeinde machen. Eodem modo alicubi vicini via publi-  
ca der gemeinen Straße tenentur, ut vel viam reparent,  
vel prædiis suis cedant. vid. Pragrisch Stadt-Recht/  
quod Msptum nobis suppetit. iii. von Dienstbarkeiten.  
v. L. 2. quod & prejudicio aliorum locorum confirmat  
SUESER. in theatri servit. appendic. Decif. VI. p. 1212. Paris  
considerationis est servitus Curiae sepiendæ in SPECULO  
SAXONICO. vid. Land-Recht. L. II. Art. 49. ubi quisque  
obstringitur in gratiam vicini prædii ad prædium suum se-  
„piendum. Verba sunt: Ein ieglich Mann sol auch bewir-  
„cken seinen Theil des Hoses &c. idem obtinet circa ser-  
vitutem formacis tegendæ, aquæ & cloacæ custodiendæ,  
de qua ibid. L. II. Art. 51. dispositum sequenti modo:

D 3

Offene

Exempla  
plura.

„Offene Gänge/ das sind Wasser - Gerinne / und Schrein-  
 „Ställe/ die sollen drey Fuß von dem Baum stehen. Ein  
 „ieglich Mann sol auch bewahren seinen Ofen/ und Feuer-  
 „Mauer/ daß die Funcken und Flammen nicht fahren in ei-  
 „nes andern Mannes Haus oder Hof ihm zu Schaden.  
 „Genge/ (das sind Heimlichkeiten) sol man auch bewircken/  
 „biß an die Erde/ die dagegen eines andern Mannes Hofe  
 „überstehen. conf. MELCHIOR KLING. im Sächs. Land-  
 Recht. part. III. tit. de servit prediorum, urbanor. fol. m. 104.

## S. X.

Notabilis quoque est præ alias Servitus stercorandi,  
 das Pfürch-Recht/ da ich gewungen bin mit meinen Schaa-  
 fen eines andern Felder zubefürchen / quam refert SUESER.  
 in theatro Servitut. p. 480. Neque incognitæ erunt servitus  
 fenestrarum custodiendarum quam statuta quorundam  
 locorum imponunt. vid. STRYCK. in usu modern. b. t. §. 10.,  
 Servitus fenestrarum reparandarum , cuius meminit SUE-  
 SER. l. c. p. 184., Servitus cloacæ custodiendæ apud Uratis-  
 lavienses. vid. Bauordnung cit. loc. Servitus molendini,  
 furni bannarii, cerevisiæ coquendæ vel emenda, die Zwang-  
 Mühlen / Zwang / Backofen / Zwang / Schenken / nam &  
 hisce prædiū incolæ in gratiam prædiū alterius aliquid face-  
 re coguntur. vid. BRUNNEMANN. ad l. 8. π. n. 3. de Servit.  
 & STRYCK. in usu modern. de servit. §. IV. nec non Dn.  
 SUESER. in theatro. p. 514. Huc etiam pertineret servitus  
 aperturæ de qua SCHILTER. in Inslit. Jurispubl. L. II. c. III.  
 & Dn. HERTIUS Opusc. Tom. II. p. 231. nisi jam juris privati  
 terminis includeremur. Plura occurunt in praxi, quæ  
 hoc referre rerum peritis persicile erit. Nobis haec ipsa  
 ad illustrandam definitionem declarandamque possibili-  
 tem Servitutum in faciendo consistentium sufficere poterunt.  
 De cætero ex dictis etiam constare poterit: esse quedam  
 prædiorum jura hisce servitutibus affinia quidem , maxime  
 tamen ab iis separanda. Ita aliorum pertinent: jus pascendi,  
 jus

( 31 )

jus Gœz in Silesia das Alten Recht (de quo SCHICKFUS.  
in Chron. Siles. L. III. p. 345, nec non SCHIEFERDEGKER. ad  
ANT. FAB. L. III. tr. XXIX. qu. VIII.) jus piscandi, jus  
glandis legendæ, & quæ sunt alia jura aliquando factum  
involventia, longe tamen ab his separata. Sed de his  
alia ferente occasione erit dicendi  
locus.

F I N I S.

---

CLARISSIMO

DN. WOLFGANGO ADA-  
MO REUTER

S. P. D.

PRÆSES.

**D**ilecti, ex quibus precipue componuntur leges, sunt  
partes: altera legis præcepio, altera ejusdem  
ferendo lateque nro. Illa verbis eorumque  
structum: hac re ipsa ejusque natura continetur.  
Penstavit hoc olim CELSUS l. 17. π. de LL.  
congrue inquiens: scire leges non hoc est  
verba earum tenere, sed vim ac potestatem: tacite notant illos,  
qui apices legum rimantur, syllabas crepant, & exteriori  
cortice contenti illud quod nucleus præbet susque deque habent.  
Optandum sane esset, ut semper & ubique moniti hujus apud  
omnes haberetur ratio: verum, postquam etiam Eruditi suum  
vulgaris habent: non mirandum est, si recto gradui insufflentes repe-  
riantur

viantur sat pauci. Hos inter & Tu, Amice charissime, tuum  
professus es nomen, ex quo non tantum optima legum scita, ex do-  
ctissimorum Praeceptorum ore haurire, verum etiam tum ipse  
praecuntibus, tum proprio studio eorum sensa rimari studiasti.  
Juvabunt tuum hoc studium etiam qualescumque meae philosophiae  
rationalis praelectiones, quas hactenus laudabiliter discendi cupidiza-  
te & industria sectatus es. Imo juvabit & disputatoria exerci-  
tationis genus, quod jam ingrederis, de quo non aliter ac reliquis  
tuis studiis mibi animitus gaudeo, sperans fore, ut aliquando Patro-  
norum iussu rebus agendis adscius bono publico egregie & cum-  
ratione sit invigilaturus. Hinc quod alii laudent, ego tibi gra-  
tulor, rogoque Deum, ut ingenuis tuis conatibus, sicuti hactenus;  
ita in ceteris gratiore benedicat. Tu vale, & quem capisci am-  
are, in posterum perge. Dabam Jene. Die XI. Mens. Aug.

A. O R. M D C G. X.



**ULB Halle**  
003 330 850

3



*96.*





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

3/Color

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

L. D. B. V.

DISSESTITO JVRIS GERMANICI,  
DE

# SERVITVTIBVS IN FA- CIENDO CONSISTENTIBVS,

*Quam*

FAVENTE DIVINO NVMINE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
DOMINO

**GVLIELMO HENRICO,**  
DVCE SAXONIÆ, JVLIACI, CLIVIÆ, AC MONTIVM, AN-  
GARIÆ WESTPHALIÆQUE & reliqua.  
IN HAC ALMA SALANA JENENSI.

SVB PRÆSIDIO

D.N. EPHRAIMI GERHARDI,  
PHIL. ET J. U. DOCTORIS, AVLÆ AC REGIM. SAXO-  
VINARIENS. ADVOC. ORDIN.  
*DOMINI FAVTORIS AC PRÆCEPTORIS SVI*  
*VENERANDI,*

AD D. AUGUSTI A. M. D. C. C. X.  
IN AVDITORIO JVRIDICO  
SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET  
RESPONDENS

**VWOLFGANGVS ADAMVS REVTER,**  
MONACHOMONTANVS VARISCVS.

JENÆ,  
LITTERIS MULLERIANIS.